



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XLIX. De virtutibus Christi. S. Thom. q. 7. a. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 7. a. 1.
& alijs.

SECTIO V.

Duae difficultates.

§. 60. **P**rima: Quo tempore fuerit Christus sanctus gratia habituali? Certissimum est Christum ut hominem conceptum sanctum. Luc. 1. 35. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Vbi nasci ex ipsa intelligitur non solum de natiuitate ex utero; sed etiam in utero. Nam Spiritus sancti superuentio & obumbratio erat ad conceptionem Christi sancte efficiendam: ex qua superuentione deriuanda erat Christi sanctitas in natiuitate in utero, & filiatio Dei: ideo enim quod nascetur ex te sanctum, quia ad conceptionem Spiritus obumbrabit tibi, vocabitur Filius Dei: at in ipsa conceptione vocatus est Christus Filius Dei: ergo conceptus est sanctus: ibi enim idem sunt Nascetur ex te, & concipietur ex te.

§. 61. Clarius colligitur Matthæi collatione cum Luca: ait enim Matth. 1. 21. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. ubi explicatur superuentio Spiritus sancti: & quod dixit Lucas, Nascetur ex te sanctum: dicit Matthæus, Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Item cum angelus voluisset certiorrem facere Iosephum de integritate Mariæ, quam prægnantem viderat sponfam, quin ipse prægnationi dedisset causam, angelus dixit: De Spiritu sancto est: id est, prouidente numine, & Spiritu sancto diminitus supplente viri concursu, Maria concepit de Spiritu sancto. Et quamuis Lucas detorqueri posset ad solam natiuitatem ex utero; Matthæus non potest: quia quod natum erat in ea, dixit esse de Spiritu sancto: esse autem idem est ac accepisse existentiam: tum quia verba ita sonant: quamuis aliquando iusti dicuntur esse ex Deo: tum quia colloquio cum Iosepho id postulabat. nisi enim ipse esset securus de conceptione Christi à Spiritu sancto, & non ab alio homine; quid interesset prolis sanctificatio ad excusandam matrem ab adulterij suspitione? quæ potuisset esse adultera, & filius esse sanctus: quia verò maneret eadē ambiguitas de ge-

nitore prolis, ideo opus fuit ut Iosephus doceretur eum non fuisse alium hominem; sed Christum non habere alium patrem, quam Deum. Idem dicitur in Symbolo: Qui conceptus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: ubi Patres Concilij mutati sunt verba ex Luca atque Matthæo. Hæc expositio reperitur tom. 3. Conciliorum in Francofordiensi in sacro syllabo post initium.

§. 62. Huc spectant Patres appellantes Christum sanctum natura, & natiuitate: & qui dicunt illi esse sanctitatem naturalem. Ratio est aperta: quia eodem instanti fuit genitus, & habuit vnionem hypostaticam, fuitque ut homo filius naturalis Dei: ergo non minus repugnat humanitatem non esse sanctam vllō instanti, quam non constituere filium naturalem Dei cum vnione hypostatica, & vnione ad corpus.

§. 63. De gratia habituali eodem instanti donata est eadem certitudo, ac de ipsa gratia: omnia enim quibus cogimur ad asserendam Christo habitualem gratiam, nos cogunt ad eandem fatendam eodem instanti generationis: quia illa potuit tunc infundi, & debebat ratione vnionis, nec opponeretur muneri redemptoris: aliunde tunc exercitæ sunt multæ operationes supernaturales: ergo.

§. 64. Secunda difficultas est: Vtrum gratia habitualis præcesserit vnionē hypostaticam in genere causæ disponētis? Antiqui nonnulli affirmarūt: quæ sententia iam est antiquata; censeturque communiter vnionem fuisse priorem natura gratia habituali. quod perspicue docuit S. Thomas q. 7. art. 13. Quod recte probat tribus rationibus. Quod si quando visus est esse ab opposita sententia, vel explicandus est ex hoc articulo, vel censendus mutasse sententiam. Ratio, ob quam vnio est natura prior, reddita est à me disp. 26. quia personalitas est natura prior omni accidente.

§. 65. Aduerte, Christo præter hanc gratiā communem nobis, esse aliam identificatam cum lumine gloriæ, & charitatis habitu: ex qua oriuntur immediatè visio & actus charitatis, multo in specie perfectiores nostris. de quo agitur à me disp. 26. de Deo sect. 6. subsect. 3. Hæc autem hic dixi de gratia simili nostræ in specie vltima, ut ostenderem Christum donatum sanctitate habituali.

DISPUTATIO XLIX.

De virtutibus Christi.

S. Thomas q. 7. a. 2.

SECTIO I. De Fide, & Spe. S. Thomas q. 7. a. 3. & 4.
SECTIO II. De virtutibus moralibus Christi in communi. S. Thom. art. 2.

SECTIO III. Vtrum in Christo fuerit penitentia?
SUBSECTIO I. Pars negans.
SUBSECTIO II. Præfertur pars affirmans.

§. 1.



Virtus est habitus ad recte operandum. Diuiditur in Theologicam, & moralem: illa attingit Deum obiectum formale, ut fides, spes & charitas: hæc habet pro obiecto formali adæquato creaturam. de quibus egi vol. 2. disp. 101. Hic non est disputandum de singularibus virtutibus; sed præcepta communia sunt ponenda, & inferendæ conclusionēs singulares. In Christo ut homine esse eas virtutes, quæ non opponuntur visioni Dei, aut muneri redemptoris, aut vnioni hypostaticæ, est certum. Solum est quæstio de aliquibus moralibus, qualis est penitentia, an opponatur vnioni; & de Theologicis, fide & spe, an opponantur visioni. Morales item aliæ sunt per se infusæ; aliæ per se acquisitæ. De singulis erit sermo.

SECTIO

SECTIO I.

De Fide, & Spe. S. Thom. q. 7. a. 3. & 4.

§. 2. **H**æc quæstio erit mihi perbreuis: quia fuit prælatæ vol. 2. agenti de ijs duabus virtutibus. Non fuisse in Christo actum fidei Theologicæ, tam certum est, quam in cæteris Beatis, in quibus dixit Apostolus cessaturam fidem. Habitus autem non est, ubi per se actus repugnat. Ostendi vol. 2. disp. 29. à §. 11. rationem, ob quam in patria non manet habitus fidei, non esse eius oppositionem physicam cum lumine: nulla enim est immediata, & ratione effectus formalis; est tamen mediata ratione gratiæ; vt dixi ead. disp. 29. §. 17. sed causam esse statum, in quo per se esset in patria. de potentia autem absoluta habitum fidei posse esse in patria, ostendi eadem disp. 29. §. 12.

§. 3. De oppositione actuum fidei & scientiæ, egi vol. 2. disp. 30. vbi §. 39. ostendi non posse ex natura rei exerceri in patria fidem: quia omnis reuelatio Dei, seu voluntas reuelatrix, cognoscitur euidenter: sic non potest immediatè credi per fidem. Item §. 40. ostendi, non repugnare, vt Beati exerceant fidem circa obiecta, quæ non vident. §. autem 34. ostendi, posse esse cognitionem euidentem cum fide de eodem obiecto materiali. De potentia autem absoluta posse idem obiectum formale videri & credi, dixi §. 41. esse in patria piam affectionem ad amorem strictum, & gaudium, ostendi vol. 2. disp. 59. §. 17. item & ad actus conditionatos de obiecto possibili habetibus virtutem.

§. 4. In Christo esse habitum spei, ostendi vol. 3. disp. 108. quia est in Beatis, exercetque amorem strictum, & gaudium de propria beatitate: sperauit item gloriam corporis. Recognosce eo volum. 3. disp. 105. de actibus spei in suum obiectum, & disp. 108. de spe Beatorum, & à §. 46. vbi egi de spe Christi.

SECTIO II.

De virtutibus moralibus Christi in communi. Art. 2.

§. 5. **V**irtutes morales in Christo fuisse, nullus potest dubitare: quia illas exercuit abudè. dixit enim Euangelista Iesum misericordia motum: Apostolus autem, didicisse obedientiam. quæ in sensu proprio sunt accipienda, quando absque incommodo possunt. Nec hoc derogat perfectioni Christi: illi enim actus sunt in se imperfecti charitati comparati: quia non amant creaturam optima ratione, qua illa petit: petit enim amari propter Deum amatum. quæ imperfectio non potest illis adimi. At non propterea Christus est imperfectus: quia simul cum illis exercuit charitatem circa eadem obiecta. Ex. gr. quando Christus misertus est viduæ, exercuit misericordiam, voluitque illam leuare miseria propter honestatem eius obiecti: at simul ob amorem in Deum eius est misertus: quia vidit id gratum Deo futurum. Ob quod subiectum eorum actuum fuit perfectum: quia obiectum illud amaui optima ratione, qua petit.

§. 6. Obijcies: Illi actus sunt imperfecti: ergo animam Christi imperfectam reddidere. Probo confes-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

quentiam: quia vt actus perfectus eam reddit perfectam; ita imperfectus imperfectam. Nego consequentiam: quia imperfectio animi includit actum, quo attingitur creatura adequatè propter ipsam, & carentiam actus amoris Dei, quo illa creatura ametur propter illum: & quia actus moralis non est carentia actus Theologici; idèd solus non reddit animam imperfectam: quia simul cum illo est in Christo actus Theologicus, ratione cuius anima est imperfecta. imperfectio actus non potest tolli etiam diuinitus: quia illi repugnat attingere Deum: quia non est eius obiectum formale: at imperfectio subiecti tollitur amore Theologico. Ad probationem consequentiæ, nego consequentiam: quia perfectio amoris Theologici est attingere Deum immediatè: quem effectum communicat animæ: imperfectio autem actus moralis est non attingere Deum: quam non communicat animæ, quæ alio actu illum attingit. Actus moralis reddit animam non attingentem Deum per illum: at non propterea animæ repugnat Deum attingere per alium: ob quod eam non reddit imperfectam.

§. 7. Habitus morales per se in fusi tam certè sunt in Christo, quam in cæteris iustis: quod nec definitum est, & ab omnibus Theologis admittitur: sunt autem simul tempore cum gratia habituali; posterius tamen ratione: quia physicè aut moraliter ab ea deriuantur, suntque infiniti intentione.

§. 8. Habitus morales natura sua acquisiti videtur fuisse Christo: tum quia ita communiter censetur, tum quia non dicuntur imperfectionem; sed potius animam iuuant ad promptè & delectabiliter operandum: sunt autem virtutes, quas nostri boni actus animo imprimunt. cum ergo Christus creberimè exercuerit eos actus in gradu heroico; cur non imprimerent habitus inclinantes ad similes actus?

§. 9. Dices Primò, Christum non fuisse continentem, sed temperatum, id est, non habuisse pugnam cum rebellionem contra virtutem, quæ rebellio cõpescitur habitibus: qui status vocatur *continètia*; sed in illo fuisse animam ita temperatam, vt nullum bellum rationi indixerit: ergo non habuit habitus per se acquisitos. Nego consequentiam: habitus enim per se primò gignuntur exercitio actuum, & ad similes actus inclinant. Quamobrem si actus virtutum exercerentur sine pugna, ita & habitus producerentur: accidit autè habitui produci cum pugna, vel sine illa.

§. 10. Dices Secundò, eos habitus fuisse superfluos: quia Christus visione beata rapiebatur ad obiecta necessariò. Respondeo Christum in exercendis actibus necessarijs non indiguisse habitibus natura sua acquisitis, vt ostendi disp. 16. de Anima: ille autem liberè exercuit multas virtutes, quo in casu locus est habitui, vt inclinet potentiam ad actum, ad quem est indifferens.

§. 11. De tempore, quo eiusmodi habitus primò Christus habuit, est difficultas. Placet opinio Patrum: Valentii disp. 1. q. 7. puncto 3. Suarez disp. 19. sect. 2. §. Dico tertio, & Vasquez disp. 42. c. 2. has virtutes ab initio conceptionis fuisse Christo per accidens infusas: quia pertinet ad statum perfectionis, ad quem spectat promptè & delectabiliter operari, neque inuoluunt imperfectionem. Equidem ex Patribus ostendunt illi Patres, Christum labore & exercitio non acquisiuisse virtutem: imò melius intelligitur status temperantiæ cum illis habitibus; quia delectabilius voluntas rationi patet.

Ee 3 §. 12. Hi

S. Thom. q.
7. a. 2. &
alijs.

§. 12. Hi habitus sunt in maximo gradu possibili humanitati; finitè tamen intensione: quia anima non potest virtute naturali habere nisi certam intensiorem: ob quod habitus naturalis terminum habet, quem prætergredi non potest etiam diuinitus: quia alius gradus superior est impossibilis.

SECTIO III.

Vtrum in Christo fuerit pœnitentia?

SVBSECTIO I.

Pars negans.

§. 13. **N**Egant frequentius Theologi: quia primum pœnitentiæ munus est deplorare propria flagitia, eiusque primus actus est dolor de peccato ab ipsa persona commissio: sed Christus nullum habuit peccatum quod deploraret, aut doleret: ergo nec pœnitentiã. Hæc opinio explicanda est, vt à multis explicatur spes: quam constitunt circa sola futura; circa præsentia verò, nec circa illa secundum se nullum admittunt actum: vt ergo spes est desiderium; ita pœnitentia est dolor & tristitia: ergo vt spes non habet locum nisi erga futura bona; ita nec pœnitentia nisi circa præsentia mala.

§. 14. In qua sententia rectè concluditur, non posse in Christo esse actum pœnitentiæ ex natura rei: quia numquam peccauit, nec potuit. Item, nec in Maria eandem ob causam: quia non solum non peccauit, verum nec potuit: quia Deus eam ab extrinseco effecit impeccabilem singulari priuilegio. Habitus autem pœnitentiæ potuit diuinitus esse in vtroque: quia illorum animæ habent eandem capacitatem obedientialem, quam nostræ: nec habitus pendet à peccato existente: quia nec pendet à suo actu: at ex natura rei habitus pœnitentiæ nec fuit in Christo, nec in Maria: quia habitus per se otia retur aternum: quia supposita impeccabilitate, non potuit esse peccatum, nec dolor de illo. in pueris potuit esse, vt fides: quia per accidens caruerunt exercitio earum virtutum: qui si non sunt ratione vsi, non fuit ex decreto Dei efficaci de se; sed ex congressu causarum naturalium interueniente aliqua liberâ creatâ. At impeccabilitas Iesu atque Mariæ fuit à Deo per se decreta actu de se efficaci: Iesuitica quidem independenter à meritis Christi; Mariana verò cum dependentia ab illis. Cæteri iusti habere pœnitentiã, tum vt plorarent peccata grauiã, aut leuiã, quæ commiserunt: tum quia ex se fuerunt expositi alicui peccati mortalis. Non disputo nunc de confirmatis in gratia, vtrum sint physice impeccabiles.

§. 15. In eadem explicatione sententiæ dicendum etiam est, potuisse diuinitus in Christo esse pœnitentiã: quia potuit deplorare peccatum ab ipsius anima commissum. Pone prius tempore quàm assumptionem, extitisse animam Christi, & peccasse. deinde, assumptione ipsa animam sanctam. Hæc anima post assumptionem potuit deplorare peccata commissa, & dolere: ergo potuit diuinitus habere actum pœnitentiæ. Probo antecedens: quia ea anima cognoscit peccatum à se commissum: ergo potuit de illo vt à se commissum

displicere, & dolere: vt potuit gaudere de virtute ab ipsa exercita ante assumptionem. Confirmatur. Demus eam habuisse hunc dolorem ante assumptionem; potuit in illo peccans assumi: cur enim id repugnet? ergo etiam post assumptionem potest de illo dolere. Ratio à priori: quia peccatum illud vt ab ipsa commissum, est malum: ergo potuit vt existens odio haberi.

§. 16. Dices, hoc suppositum, siue hunc hominem non peccasse: ergo non potuit per pœnitentiã de peccato dolere. Distinguo consequens, non potuit dolere de peccato vt commissio ab hoc homine, concedo consequentiã: non potuit dolere de peccato commissio ab anima huius hominis, nego consequentiã. Vnde anima potuit dolere de peccato à se commissio. Nam anima est adequatum principium influendi in pœnitentiã simul cum habitu: suppositum autem non influit immediate, sed tantum vt conditio, dicitur que operans denominatiue per animam: & quia quando anima peccauit, suppositum Dei non fuit conditio illius operis; ideo non diceretur tunc deplorare sua peccata, sed peccata commissio à sua anima. Anima autem propriè ploraret sua peccata: quod sufficit ad obiectum pœnitentiæ.

§. 17. Displicet tamen in hac sententia, adstringere habitum per se infusum pœnitentiæ ad vnum actum dumtaxat; vt de spe dixi vol. 2. disp. 105. & præcipue 108. Quia spes non solum desiderat bonum absens; sed etiam illud secundum se amat, eoque præsentia lætatur: ita pœnitentia peccatum secundum se odit strictè; præsens dolet, iam abolito delectatur: ergo vt spes manet in Christo ratione amoris & gaudij, potest manere pœnitentia exercens odium in peccatum secundum se, vt est possibile ab humanitate secundum se, & præcisa à Verbo: quod potest odisse; vt de eo doleret, si illud separata à Verbo commissio. Item potest gaudere de eius carentia: videns non solum in se non esse verum, nec posse cum supposito componi; nec hoc posse peccato destrui, saltem ex natura rei.

§. 18. Adde, obiectum pœnitentiæ esse bonum aliquod, quod amatur propter se, & ratione cuius dolemus de malo illi opposito. Hoc bonum vel est ius diuinum, vel honestas ne à nobis offendatur Deus; sed exerceamus actiones ei placentes propter earum honestatem, vel quid simile (de quo non disputo.) illud bonum cur non amabitur à Christo amore stricto, & exercebitur odium strictum in peccatum vt illi opponitur? cur non gaudebit Christus de illo bono vt à se exercito? item de carentia peccati, quia non fuit existens? Certè hæc vim habent plus quàm exiguam.

§. 19. Caue pœnitentiã admittas in Christo sub conceptu & denominatione pœnitentiæ: quæ imposita est habitui ab actu doloris magis noto, & præcipuo inter odia de peccatis proprijs: qui actus supponit peccatum iam commissum; à quo dicitur pœnitentia: quæ in hoc sensu minimè est in Christo. sicut gaudium est præcipuum amorum, vt non admittitur spes sub conceptu spei: qui sumitur ab speratione: quæ de gloria animi non est in Beatis. Percurramus rationes alias.

§. 20. Opinantur alij, repugnare Christo pœnitentiã: quia huius munus est reddere Deo satisfactionem inæqualem peccatis: hoc autem Christo repugnat, etiam si eius anima ante assumptionem pec-

peccasset: quia inæqualis satisfactio Christo repugnat. Contrâ: Pœnitentia non habet pro obiecto satisfacere inæqualiter, ita vt eius actus dicat: *Volo satisfacere inæqualiter*: tum quia eadem pœnitentia est circa peccata venialia, pro quibus homo iustus satisfacit ad æqualitatem. Secundò, quia ille actus esset turpis: quia adstringeretur ad relinquendam inæqualitatem inter nos & Deum: si quidem eam vellet expressè. Tertiò, quia conditionatè vellemus satisfacere ad æqualitatem: quod si non assequimur, non est ex vitio affectus; sed ex eius insufficientia propter infinitatem Dei grauius offensus, & vilitatem personæ satisfaciens: quod reperitur in omni bono opere puræ creaturæ. itaque illa inæqualitas non est affectiua, quasi in affectu existens vt volita; sed effectiua ob vilitatem satisfaciens: sed hæc vilitas non est in Christo: ergo eius satisfactio non esset inæqualis vllò ex capite. non affectu, quia pœnitentia illum non exercet: non effectu, quia persona est infinita: ergo.

§. 21. Dices, nos aliquando videntes nostram insufficientiam exercere actus, quibus volumus satisfacere, vt possumus; nempe inæqualiter: hoc autem semper contingit in pœnitentia. quemadmodum qui debet centum aureos, nec est soluendum nisi decem, eos soluit. Respondeo, actum pœnitentiæ non semper esse solutionem: quia odium in peccatum proprium secundum se, & desiderium illud fugiendi, non sunt solutio: ergo ex hac parte potertint esse in Christo. item dolor de peccato commisso est tristitia de eius existentia, quæ non vult formaliter compensare iniuriam: compensatio enim est actus distinctus realiter à dolore: ex hoc autem illa oritur. Vt dolor de ære alieno, non est formalis, sed virtualis restitutio. Hic dolor posset esse in Christo: ex quo oriri posset voluntas compensandi iniuriam, vt posset; posset autem ad æqualitatem: ergo oriretur voluntas ad æqualitatem satisfaciendi.

§. 22. Ad argumentum, respondeo illos actus nec gaudere de inæqualitate, nec eam amare; sed potius de ea displicere, vt vellent quantum est ex se satisfacere ad æquitate: faciunt tamen quod possunt, itaque pœnitentia, & restitutio, & satisfactio honoris, deberet mouere ad faciendum quod possumus: cum autem hæc virtutes possint esse in Christo, quoad habitus, sunt satisfactoriæ quantum Christus potest; vt sunt in nobis: videns autem anima Christi, se ratione suppositi diuini posse facere æqualem compensationem, potest eam velie, vt nos mouemur ad faciendum pro alijs, quod possumus, vt Christus effecit.

SVBSECTIO II.

Præfertur pars affirmans.

§. 23. **C**enseo in Christo esse reipsa habitum pœnitentiæ, & aliquos eius actus, non verò sub denominatione pœnitentiæ. Secunda pars est

certa ex §. 19. Prima docetur à P. Suarez tom. I. disp. 19. sect. 1. verf. *Et hac sententia*, cuius fundamentum est, quia pœnitentia secundum se non est adstricta ad deploranda propria peccata; sed peccata vt sic abstracta à proprijs & alienis: ergo est in Christo. Nego antecedens: sunt enim nonnullæ virtutes infusæ adstrictæ ex natura sua ad actiones proprias, vt per eas aliquid proprium, & non alienum acquiramus. Exemplum est in spe Theologica, quam adstrictam esse ad beatitatem propriam, vt obiectum formale amandum & acquirendum proprijs actionibus ex gratia Christi, non verò ad alienam, ostendit vol. 2. disp. 99. De castitate, obedientia, patientia, & alijs est clarum exemplum: angelus enim non est castus, nec Deus est obediens amans executionem suarum legum. Vide eam disp. 99. §. 42. Rationem reddidi à priori: quia in ijs actionibus vt sunt propriæ, est honestas sufficiens ad terminandos actus vnius habitus. Item est specialis difficultas: agrius enim amo ego meam obedientiam, quam vicini: cuius autem facilius est voluntas de aliena castitate, quam sine flagris & cilicijs volumus; quam de nostra, quæ mille indiget cruciatibus. *Recognosce* vol. 2. disp. 99. §. 45. quid de hac virtute dixerim, & quæ ad hunc scopum.

§. 24. Secundò mouentur aliqui: quia Christus habet actus conditionatos pœnitentiæ. Respondeo etiam angelos fore castos: quia habent actus conditionatos castitatis seruandæ, si essent corporei: an angeli sunt temperati? Christus minus difficile potest considerari cum ijs actibus: quia sunt de obiecto absolute possibili eius animo secundum se, & à Verbo abiuncto. At propter illos dumtaxat non esset habitus constituendus.

§. 25. Ratio à priori reddita est §. 17. & 18. Quia obiectum pœnitentiæ abstrahitur ab existentia peccati proprijs, & ab eius carentia: est quidem de peccato possibili habenti habitum: animæ autem Christi secundum se possibile est peccatum. item est de bono possibili, nempe de seruando illæso iure Dei: vel de exercendis actionibus proprijs: quia honestum est illis placere Deo, vel quid simile, circa quod potest anima Christi exercere amorem, desiderium & gaudium: odium autem in peccatum suum potest exercere. Primum strictum, quod est in peccatum secundum se: secundum in peccatum vt non existens, quod est gaudium de carentia peccati. Volum. 2. disp. 113. §. 92. constitui ego in Beatis actum odij in pœnas proprias, siue ipsis possibiles, non vt futuras, nec imminentes; sed secundum se: ergo etiam poterit constitui actus odij in peccata propria solum secundum se. item & §. 97. admisi timorem non exterritum, qui est non de malo imminente, sed possibili: §. autem 98. & 99. admisi cum S. Thoma fugam mali secundum se, quam ille *timorem* appellat: §. item 116. explicui odium in malum possibile: ergo potest esse in Christo odium in peccatum possibile eius animæ. in quo sensu in eo timorem admittam disp. sequenti.

S. Thom. q. 7. a. 2. et alijs.